

1. † A. R. P. Eduardus Ring (1899-1945)

Eduardus Ring originem habuit in loco Bexhill-on-Sea, comitatus Sussex, ex piis honestisque parentibus a. 1899. Cum prius magnum bellum exarsit a. 1914, commorabatur in nostro iuvenatu Bishop Eton et per quattuor annos sequentes patriae servivit miles, recepto etiam levi vulnere, sed bello finito alacris ad nostros rediit. Vota emisit a. 1920 et a. 1925 sacerdos ordinatus est ab Exmō Butt.

Novello sacerdoti, Londinensi domui adscripto, maximum gaudium erat sacerdotalia munia adimplere inter pauperes et infirmos. Quondam ei Viaticum portandum erat mulieri, cuius filia erat protestantica fanatica. Confisus Deo mane ipse portam domus externam aperuit et celeriter cubiculum aegrotantis intravit. Dum sacram Hostiam ostendit, in aditu apparuit filia, quae irata sacerdotem catholicum appellavit « nefarium, senilem, malefactorem ». P. Ring iussit eam illico exire et matri Viaticum prae-buit. Egrediens invenit cum filia patrem catholicum, cui iuvenis sacerdos: « Filia tua — inquit — reprehensione digna est, me vocans nefarium, senilem, malefactorem. Nefarius non sum, cum aperte et honeste hanc domum intraverim ad reficiendam matrem aegrotantem sancta communione. Senilis non sum, sicut tu ipse videre potes. Etiam malefactor certe non sum, quia pro patria pugnavi et sanguinem meum effudi ». Quibus dictis exiit.

Ab a. 1939 per duo triennia fuit Rector domus studentatus et Lector theologiae moralis, et a. 1945 nominatus est Rector domus iuvenatus Bishop Eton. Die 13 Decembris eiusdem anni, post missionem duarum hebdomadum prope Liverpoolium praedicatam, venit ad domum nostram Erdington, annui secessus faciendi causa. Proximo die, ergo primo die secessus, non bene se habebat, tamen mane sueta exercitia perfecit. Consuluit etiam medicum, casu ibi praesentem, qui nil periculosi invenit. Sed iam post paucas horas anemia cerebralis attulit inopinatam mortem. Sepultus est P. Ring Erdingtonii, praesentibus P. Provinciali Charlton et plurimis Superioribus Provinciae. R. I. P.